



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

Epistola IV. Hadriani Papae IV. Ad Fridericvm Imperatorem. Hadrianus
episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio Friderico, &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

EPISTOLA IV.

HADRIANI PAPÆ IV.

AD FRIDERICVM IMPERATOREM.

*Hadrianus episcopus seruus seruorum Dei dilecto filio
Friderico, &c.*

Ex quo vniuersalis ecclesiæ curam , Deo prout ipsi placuit disponente, suscepimus, ita in cunctis negotiis magnificentiam tuam honorare curauimus, vt de die in diem animus tuus magis ac magis in amore nostro & veneratione sedis apostolicae debuisset accendi. Vnde sine grandi admiratione non ferimus, quod cum auditu ex suggestione quorundam , animum tuum aliquantulum contra nos fuisse commotum, duos de melioribus & maioribus fratribus nostris, Rolandum scilicet cancellarium tituli sancti Marci, & Bernardum tituli sancti Clementis presbyteros cardinales , qui pro tua maiestatis honore in Romana ecclesia solliciti semper extiterant, pro voluntatis tuae cognitione ad tuam praesentiam destinauimus : aliter quam imperiale decuerit honorificentiam sunt tractati. Occasione siquidem cuiusdam verbi, quod est, beneficium, tuus animus (sic ut dicitur) est commotus ; quod vtique nedum tanti viri, sed nec cuiuslibet minoris animum merito commouisset : licet enim hoc nomen, quod est, beneficium, apud quosdam in alia significatione , quam ex impositione habeat, assumatur, tunc tamen in ea significatione accipendum fuerat, quam nosipsi posuimus, & quam ex institutione sua noscitur retinere. Hoc enim nomen ex bono & facto est editum, & dicitur beneficium, apud nos, non feudum, sed bonum factum. In qua significatione in vniuerso sacræ scripturæ corpore inuenitur, vbi ex beneficio Dei, non tamquam ex feudo, sed velut ex benedictione & bono facto ipsius gubernari dicimur & nutriri. Et tua quidem magnificentia liquido recognoscit, quod nos ita bene & honorifice imperialis dignitatis insigne tuo capiti imposuimus, vt bonum factum valeat ab omnibus iudicari. Vnde quod quidam verbum hoc , & illud scilicet (contulimus tibi insigne

Concil. Tom. 27.

Ff

imperialis coronæ) a sensu suo nisi sunt ad alium retorquere, non ex merito causæ, sed de voluntate propria & illorum suggestione, qui pacem regni & ecclesiæ nullatenus diligunt, hoc egerunt. Per hoc enim vocabulum, contulimus, nihil aliud intelleximus, nisi quod superius dictum est, imposuimus. Sane quod postmodum personas ecclesiasticas a debita sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ visitatione, ut dicitur, reuocare iussisti, si ita est, quam inconuenienter actum sit, tua, fili in Christo carissime, discretio, ut credimus, recognoscit. Nam si aliquid apud nos amaritudinis habebas, per nuntios & literas tuas nobis fuerat intimandum; & nos honori tuo curauissemus sicut filii carissimi prouidere. Nunc igitur, quoniam ad commonitionem dilecti filii nostri Henrici Baioariæ & Saxoniarum ducis, duos de fratribus nostris, Henricum tituli sanctorum Nerei & Achillei, & Hyacinthum sanctæ Mariæ in Cosmedin, diaconos cardinales, prudenter siquidem & honestos viros, ad tuam præsentiam destinauimus, celsitudinem tuam monentes & hortantes in Domino, quatenus eos honeste & benigne recipias; & quod ab eis ex parte nostra tua magnificenziæ fuerit intimatum, a sinceritate cordis nostri nouerit tua excellētia processisse. Ac per hoc cum eisdem filiis nostris, mediante iam dicto filio nostro duce, ita celsitudo tua studeat conuenire, ut inter te ac matrem tuam sacrosanctam Romanam ecclesiam nullius discordiæ seminarium debeat remanere.

R E S C R I P T V M
I M P E R A T O R I S F R I D E R I C I
A D H A D R I A N V M P A P A M .

Pro confirmatione electi Rauennensis.

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator, & semper Augustus, Hadriano Romanæ ecclesiæ venerabili pontifici.

DILECTO & fideli nostro Anselmo bona memoriae Rauennensis ecclesiæ venerabili episcopo defuncto, ne curia nostra diutius tanto careret principe, operam dare curauimus loco eius talem subrogari personam, qua-